

ipsam insulam cepit et occupavit. Videns autem insulam illam fertilem, Siculum ipsius insule constituit ducem. Palermum¹, Miscem², Blandium, viros nobiles et prudentes, cum eo reliquit. Iter quoque eius ad Apulorum terram direxit. A quo Siculo dicta est insula illa³. Palermus⁴ autem in ea insula civitatem fecit, que nuncupata est Palerma a Palermo conditore eius. Miscis similiter suam hedificavit civitatem, que dicta est ab eo Miscina. Blandius Blandusium construxit. In ea vero insula moram per quatuor habuit annos. Cognoscens itaque Paris Apulorum terram annona fluentem, omnibus bonis copiosam,

*f. 17a. ⁵ipsam cepit et subiugavit. Constituit namque et fecit in ea civitatem, cui nomen imposuit Troia, civitatis Troie memoria; stetit etiam in ea per quinque annos. Qui inde semotus ad Italie partes accedere proposuit. In Apulorum⁶ quidem terra Tarantum, Tramum, Sallernum⁷, Capuum⁸, viros sapientes et prudentes, dimisit, quorum quilibet suam construxit civitatem: Tarantus hedificavit Tarantum, Tramus Tramam⁹, Salernus¹⁰ Salernum, Capuus Capuam. Apulia autem a perditione nominatur; citius enim in ea solis fervore terre virentia perdunt¹⁰. Post hec accedens Paris cum omni gente sua ad Italie partes Aurelum, Flamineam et Unbrum omnino subiugavit. Stetit namque in illis partibus per tres annos. Discedens itaque ab ipsis Pentapolum, Ferromanum et Perusium, viros magne prudentie, dominos ipsarum provinciarum constituit. Pentapolum in Flaminea prope maris littora civitatem mire magnitudinis, meniis et hedificiis decentibus ornatam, construxit, que a Pentapolo nuncupata est Pentapolim. Feromanus vero Feromanum¹¹ fecit, Perusius Perusium. Perveniens igitur ad quandam insulam parvam inter Ystriam et Panonie fines positam, videns¹² in ea munitionem fortissimam fieri fecit. Venegum, virum sapientem, in maris fluctibus peritissimum, reliquit, qui munitionem in ea condidit insula, que postea ab ipso Venego dicta est Venecie. Deinde per maris littora et Panonie

*f. 17b. ¹³planiciem pergens, videns planitiem omnibus bonis fore copiosam, in ipsa per duos annos cum gente sua requievit. Cupiens igitur ad provincias in septentrionali plaga constitutas iter suum dirigere, Aquilum, virum discretum, in ea stare concessit, qui civitatem construxit, que ab Aquilo dicta est Aquilegia; permansit ibi per annum unum. Pergens igitur in terram virorum in septentrionali plaga habitantium ipsam subiugavit.

1) 'Parlanium' hier Hs. 2) 'micem' hier Hs. 3) Cf. Pauli H. Lang. II, 12. 4) 'palernius' hier Hs. 5) 'apolorum' Hs. 6) 'saller' Hs. 7) 'capulum' Hs. 8) Das soll ohne Zweifel Trani sein. 'Traius Traianam' (scil. condidit) hat Galv. Flamma l. l. 9) 'Salē' Hs. 10) So Hs. für 'perduntur'. Dies aus Pauli H. Lang. II, 21. 11) Das ist entstanden aus 'Ferromanus' bei Paul. II, 18, soll aber hier wohl Fermo bedeuten. 12) Hier sind offenbar einige Worte ausgefallen.